ABUSUS PRÆSERVATORIÆ VENAESECTIONIS ET ALVINARUM PURGATIONUM, ...

Nicolaus Sterzinger

ABUSUS PRÆSERVATORIÆ VENÆSECTIONIS, ET ALVINARUM PURGATIONUM,

DUPLICI DISSERTATIONE CORAM AMPLISSIMO SENATU ACADEMICO ALMÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINÆ UNIVERSITATIS OENIPONTANÆ EXPOSITUS

A

NICOL. STERZINGER,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, IN EADEMQUE UNIVERSITATE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

PERMISSU SUPERIORUM.

OENIPONTI,

Typis Michaëlis Antonii Wagner, Cæfareæ Regiæ Aulæ & Universitatis Typographi & Bibliopolæ. 1755.

ERNESTO ANTON. DE HELMREICH
IN BRUNFELD &c.
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI
SINGULARIBUS INGENII DOTIBUS ORNATO
FELICEM IN PATRIAM REDITUM, ET SALUTEM
PRECATUR
NICOL. STERZINGER.

Quadriennium fere est, ex quo Medicinæ Doctor honoraris. Eum Tibi honorem, egregiis hausta Scientia speciminibus ante editis, promerueras: quem me Promotore obtinuisti. Soliti Applausus loco de Venæsectionis Præservatoria Abusu quod disserui, ut publici Juris fieret, petenti Tibi; fore appromisi. Nunc & promissum solvo & Dissertationem alteram addo nuperrime habitam prioris sociam, de Abusu Alvinarum Purgationum. Placuit Tibi olim Conatus meus: utinam etiamnum placeat; postquam a summis Viennæ, Gottingæ & Lutetiæ Præceptoribus theoretica & practica Scientia locupletissimus in magnam spem Patria Tua rediisti! Gratulor mihi, cum dulcis redit Memoria, quam avide haurienti prima Medicinæ fundamenta tres ipsos Annos Tibi propinarim, quam grato item Hospite domi mea familiarius Te sim usus. Me, qui pro maximis Tuis meritis, Viribusque amplissimam Præceos Provinciam Tibi apprecor, amare ne cessa. Vale.

DIS-

DISSERTATIO I.

De Abusu præservatoria Venæsectionis.

Delet opinionum commenta Dies: & feliciora tempora Medicinam præsertim a non paucis perquam absurdis opinionibus liberarunt. Videmus deletum Calorem innatum, & humidum radicale, dissipata qualitatum & facultatum agmina, obliteratas Theophrasti voces grandisonas, terminosque inanes; explosam Ætiologiam acidi & alcali, exulem Archæum Helmontii, aliaque sexcenta. Excusso Auctoritatis Jugo, nihil pro certo aut vero, quisquis demum illud dixerit, admittit amplius Medicina; nisi quod sensibus vel certis observationibus, aut experimentis probatum esse cognoscat; vel ex fabrica corporis per certa ratiocinia in statu sano non minus quam ægroto, deducat. Tale videlicet per Dei Gratiam possidemus corpus, quod pluribus velut machinulis humorum influxu agitatis ea conditione conflatum est, ut eæ adunatæ & in unam machinam conjunctæ, mechanica plane evidentia, producant motus, a mole, figura, firmitate, & nexu partium inter se de-

pendentes; earumque una aut altera læsa, eundem frustra deinceps expectamus effectum (a). Unde illis figmentis facile caret Medicina moderna, quoties de effectibus seu functionibus sani, aut morbosi corporis quæritur. Jactari non minus cessant Panaceæ, Balsama, Elixiria, quinti Spiritus, Cedri & Hellebori entia, aliaque plura, artis potissimum chemicæ opera & arcana; quibus sanitatem præsentem conservari, vitam prolongari, & mortem arceri, credidit antiquitas. Durat quippe sine his nostri corporis machina non breve aliquod tempus, sed per centum & plures annos, caussis simplicissimis & solo debito sex rerum non naturalium usu sustentata. At quamvis Medicina moderna inania antiquorum & Chemicorum promissa rideat, alia tamen sunt, quæ etiamnum Panaceæ universalis instar non pauci Medici commendant: sanguinis missionem præservatoriam, & alvina purgantia intelligo, quorum iterato per annum usu, sanitatem constantem, vitam longævam, & a morbis quibusque securam promittunt. Concedite propterea, Auditores litterati, ut minus quidem exornata, sed brevi Dissertatione hac hora vobis demonstrem, Venæsectionis præservatoriæ, seu prophylacticæ abusum, quantumque promissum ab effectu distet. Asserti hujus argumenta ipsa partium nostri corporis conditio, vivendique ratio, felicissimorum Practicorum Judicia, & certa observata subministrabunt. Favete.

Ut ea, quæ de Venæsectione præservatoria seu prophylactica, aut illa, quæ sanitatem præsentem conservandi, & morbos futuros arcendi gratia adhibetur, proponere constitui, ordine procedant, ad hæc duo animum advertere oportebit: primum indi-

(a) Confer cl. BOERHAAVE Differt. academ. 2.

Indinans complectitur, seu illam nostri corporis conditionem, quæ sanguinis missionem præservatoriam requirere videtur; alterum vero Indicatum, seu auxilii, quod a Venæsectione expectant, aptitudinem.

Primarium, ut ipsi fatentur Patroni, Venæsectionis præservatrtiæ Indicans est Plethora, seu major sanguinis boni copia, quam quæ ferre possit eas mutationes, quæ vitæ nostræ inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi. (ζ) Hæc boni sanguinis abundantia ex se nunquam morbus est; sed supponit perfectam sanitatem, & Hominem optimo habitu præditum, nihilque in corpore est, quod sui ablationem requirat. Talis autem Homo in eo plenitudinis statu constitutus, si vel ulterius humorum augeatur copia, aut calore aeris ambientis, aut minimo rerum non naturalium vitio, aut affectu animi validiore rarefiant, vel nimium incalescant; in maximo versatur periculo, ne summa illa sanitas in periculosissimum morbum mutetur. (γ)

Illa, de qua dictum est, boni sanguinis copia, generatur ex alimentis, quæ pro nutritione & vitæ conservatione quotidie ingeruntur. Ea enim est sanissimi etiam corporis humani conditio, ut per actiones inevitabili necessitate deterantur solida, & dissipentur fluida. Nec per duo momenta idem manet; sed mutatur perpetuo. Et hæc differentia, licet nulla appareat, tractu temporis tamen, ubi post breve intervallum Hominem consideras, perspicua & valde sensibilis evadit. Alia hujus mutationis caussa non est, quam motus, in quo vita partium, & actionum exercitium consistit. In singulis vasis corporis fit perpetua humo-

 rum

(ζ) cl. BOERHAAVE Aphor. de cognosc. & curand. morb. 106.
(γ) cl. L. B. van SWITEN Comment. Aphorism. 106.

rum circulatio; & in omni minimo solido datur continua oscillatio. Uterque iste motus seu circulatorius seu oscillatorius efficit, ut semper aliquid deteratur, & corpus mutetur. Neque in solidis tantum, sed in fluidis quoque hæc mutatio contingit. Sanguis quippe est principalis ille humor, cujus rubicundi globuli omnibus reliquis humoribus, quotquot diversi in diversis corporis partibus reperiuntur, materiam suppeditant, quique per vasa conica propulsi & compressi, omni fere momento suas superficies mutant, & ope diversorum canaliculorum præparantium & separantium, in humores utiles æque ac inutiles eo effectu parantur, ut, qui hodie fuerunt sanguis, cras aut post brevius intervallum dissiliendo constituant fluidum nerveum, seu Spiritus, Salivam, Bilem, Adipem, Medullam, carnosas aliasque duriores fibras: inutiles vero & per continuum attritum mutati sub varia specie & in magna copia eliminentur. Unde minueretur moles, & brevissimo tempore exhauriretur corpus, nisi succus chylosus viribus oris, ventriculi, intestinorum & Mesenterii præparatus, naturalem sanguinis quantitatem restitueret, eundemque vis vasorum continuo & iterato circuitu sensim in flavescens serum & bonum sanguinem compingeret. Atque hanc renovationem jure merito conservationem nostri corporis vocare possumus: & quamvis vetera non conservemus, manet tamen per renovationem vetus nostri corporis species. (δ)

Hæc perpetua nostrarum partium renovatio in statu adulto perfecta est; si quotidie tantum illud corpori restituitur, quod per motum vitalem deperierat. Quæ corporis conditio, inquit cl. de GORTER (ι) [denotat & præparare posse & expellere omnia inuti-

(δ) Confer cl. ALBINI Physiolog. privat. de action. nat.
(ι) Aphor. 69. de insens. perspiratione.

inutilia: quia istud duntaxat fieri potest, si vires valeant; nam quoties vires sunt debilitatæ, vel in eodem victu, corporis pondus varium erit, quoniam excutere non valent superfluum] Unde nec firmior habetur sanitas, aut perfectius valet corpus, quam si quotidie post integram ingestorum subactionem ad solitum pondus redit. (ζ)

Plerique autem Homines ita constituti sunt, ut plus ingerant, chylumque copiosiorem sanguini præparent, quam sola ejus renovatio & deperditi restitutio requirit. Hinc sanguinem in corpore sensim eo magis cumulari necesse est; quo laxiora & debiliora sunt ejus vasa, minusque sufficiunt, ut superfluam & inutilem portionem attenuarent, consumerent, & per debitas excretionum vias difflarent. Humanum quippe corpus est machina ea conditione coagmentata; ut ejus vasa, quorum artificiosissima textura singulæ ejus partes vel omnem, vel potissimam suam substantiam & molem habent, plus minusque dilatari, & majorem vel minorem humorum copiam absque functionis aut sanitatis sensibili detrimento continere valeant: idque præcipue verum est de venis, utpote arteriis, minus elasticis & debilioribus. Quæ vasorum proprietas in singulare nostrum bonum cedit. Nam vel nobismet ipsis etiam ita volentibus, non eadem quotidie nobis apponuntur alimenta: hodie plus, & cibos copiosiorem chylum suppeditantes ingerimus, cras minus, & iis sustentamus nostrum corpus, quæ magis inertia sunt, & parcius nutriunt. Insuper hodie per labores & corporis exercitia excernimus largius, quod superfluum est: illudque cras quiescendo,

in

(ζ) SANCTOR. & Joan. de GORTER Aphor. 38. & 69. de insens. perspirat.

in corpore retinemus. Unde nisi nostrum corpus vasis citra functionum læsionem magis dilatabilibus constaret: vel inevitabili necessitate perpetuo ægrotaremus, vel quotidie eadem prorsus alimenta & in eadem quantitate assumere, singulisque diebus copiam humorum, quæ assumptis perfecte corresponderet, excernere deberemus. (η)

Si ulterius ad caussas respiciamus, quibus juxta communem Medicorum major sanguinis copia inducitur, ita frequentes, & hoc nostro vitæ ordine ita necessariæ sunt, ut paucissimos Homines reperire sit, qui ab omni sanguinis abundantia omni tempore immunes vivant. (θ) Inter illas potissimum referuntur viscera chylopœa fortia, quibus vel nolenti etiam copiosior paratur chylus, vasorum sanguineorum respectiva laxitas, aer humidus, anni tempus hybernum & æstivum, victus plenus & boni succi, motus deficiens, somnus multus, consuetudo mittendi sanguinem artificialis & naturalis, animus sedatus, ætas media, temperies sanguinea. (ι) Quæ omnes caussæ eo collimant, ut sanguis copiosius accumuletur, minusque diffletur superfluus, aut per aerem calidiorem rarefiat. (κ) Unde minime dubitandum est, quin frequenter Homines copiosiori sanguine repleantur. Non tamen propterea ægrotant, ut superius dictum est; sed in eo solum plenitudinis statu versantur, quo mutationes vitæ nostræ inevitabiles difficulter ferunt. Atque hæc est illa corporis conditio, propter quam Venæsectionem præservatoriam instituere jube-

(η) Confer cl. L.B. van SWITEN Comment. Aphor. 106.
(θ) SCHARSCHMID 3ter Jahrgang / 15tes Stück.
(ι) cl. BOERHAAVE Aphor. 106. de curand. & cognosc. morb. & aphor. 781. instit. med.
(κ) Vide cl. L.B. van SWITEN ut supra.